B. C. D.

FEBRIS MALIGNÆ MORBILLOSÆ

ANNO 1766. & 1767.

IN INFERIORI ALSATIA EPIDEMICÆ

HISTORIAM

GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS

INDULTU

PRO GRADU DOCTORIS

RITE CONSEQUENDO

DIE XXI. MAJI ANN. MDCCLXVIII.

H. L. Q. C.

SOLENNITER DEFENDET

ABRAHAMUS MATTHIEU

NEOCOMENSIS.

ARGENTORATI

Literis JOH. HENRICI HEITZII Univerſit. Typ.

Morborum ſemper vulgariter graſſantium impetum, & tempeſtatis conditionem cito animo concipere oportet.

HIPPOCRATES in *Prænot.* verſus finem.
FOESIO Interp.

Procemium.

Quanti ſint in facienda Medicina momenti fideles Morborum Obſervationes, inter Clinicos evictum eſt; inde enim dubiis in caſibus auxilia eruuntur, quæ Medicos in ſanando juvant diriguntque; ſiquid autem hæ Obſervationes profeciſſe unquam merito dici poſſunt, hanc profecto ſibi vindicant laudem, de Epidemicis Morbis accurate inſtitutæ, quocirca laudandus imprimis Medicinæ Dictator HIPPOCRATES, qui ut ad omnes ferme morbos, ita ad Epidemicos præſertim, Medicis facem prætulit, probe gnarus, quam dire integras ſæpe regiones devaſtent, quamque recondita indole atroces ſæviant. Horum autem genius adeo fallacibus quandoque obvolvitur ſignis, ut cuivis nec mediocriter in Arte perito non raro aqua hæreat, donec per Naturæ vim quædam ſeſe dignoſcenda offerant; aut prudenti quorundam ſymptomatum directione, cuncta juxta

exactas Pathologorum regulas explicari queant. Audiri ea de re meretur Anglorum Hippocrates SYDENHAMUS, qui *Oper. univerſ. Edit. Genev. Cap. II. p. 22. de Epidemiis* verba faciens, fateri haud recuſat: *Se nonniſi ingenti adhibita cautela, intentisque animi nervis, vix ac ne vix quidem poſſe efficere, ne unus aut alter eorum, qui ſe primi ſuæ curæ commiſerint, vita periclitetur.* Non enim obſcura modo indole Medicos premunt dicti morbi, verum pro diverſiſſima ægrotorum temperie mire compliciti, & pro ſingula anni conſtitutione variantes, ſingularem ſibi quisque medelam repoſcit, ut id Ill. Vir *l. c.* tradit. Patere hic in Medicina hiatum, nec ullam hisce generalem medelam ſtatui poſſe in confeſſo eſt; non ideo tamen Medici ab hoc propoſito deterreri ſe paſſi ſunt, quæſiere jam diu medium debellandis adeo generi humano infeſtis Epidemiis aptiſſimum, hinc uberrimæ quæ paſſim apud Auctores occurrunt obſervationes, quæ tuta ſæpe medentibus arma miniſtrant. Optimo proinde jure mater omnium ſcientiarum appellantur obſervationes; quæ ſicuti ipſis præbent exordium, ita & ulterius alunt ac promovent, incrementum ex iisdem continuo ſuſcepturæ. Conſtitui hinc ſpeciminis inauguralis loco etiam alicujus Epidemiæ hiſtoriam Tibi exhibere L. B. quam ut ſerena accipias fronte conatibusque noſtris faveas, maximopere rogo.

HISTORIA MORBI.

§. I.

Morbilloſa febris, quæ anno 1766 exeunte ad medium usque 1767 graſſabatur, rure & urbe viventes corripuit, non modo invaſit ætate minores, ſed & nec adultis pepercit. Lethalis evaſit morbus in pagis præprimis, eique ſuccubuere plurimi, in quos ſæviit Febris catharrhalium ſymptomatum ſerie ſtipata; licet autem a Febre interdum liberarentur ægroti, in alium hæc degeneravit morbum, materie morbifica nondum penitus a corporis viribus eliminata. Ut rite cuncta perpendam, ſiſtam primo Morbi ſatis mite incedentis hiſtoriam, quid periculi interdum aluit, quæque ſuperatum morbum ſequuta ſunt, ſubinde expoſiturus.

§. II.

Invaſit morbus infantes reliquosque levi circa veſperam horripilatione, quam ſtatim ſequutus eſt calor, qui ſenſim incrementa cœpit, caput obnubilabatur, ſimul & fauces afficiebantur, ut altero die in deglutiendo impedimenta experirentur ægri, frequenter pulſare præcordia cœperunt inquietique vagabantur in lecto, facies & palpebræ inflatæ, ſimul & oculi ſanguine turgidi; Alvus ſegnis, urina ſubrubro colore tincta, mador per totam cutim diffuſus calori intenſo ſuccedebat, & rubra jamjam culicum morſibus ſimilia puncta apparuere: Accedit expectoratio materiæ mucoſæ, faucesque mucidæ factæ ſunt, multum inde Ægroto

A 2

levaminis. Ex narium cavitatibus ſtillare etiam mucoſa materies cœpit, mollesque obſervabantur oculi. Cuncta hæc rite procedebant, donec novos pararet Natura inſultus, duplicaretque ſuos gradus tempore veſpertino conſueto. Non diu, parata jam ad tranſpirationem ſanguinis maſſa, calor ſævire potuit, cutis non frenatis ſuis poris emiſit, quod ab intus huc fuerat delatum, tacite emiſit materiem Naturæ operanti iniquam. Sic maculæ apparuere majores, totaque cutis inde notabatur, alvus ſuo fungens officio fœtentem emiſit materiem; hæc cuncta proceſſerunt alternando ad diem quintum usque, quo tempore maculæ deſquammata epidermide evanuerunt; fauces liberæ, præcordia tranquilla, urina cocta apparuere. Aſt & hac facie, cuncta licet in optimum ſtatum viderentur reſtituta, ſua tamen haud intermiſit molimina edere ſemper actuoſa Natura, dum eliminandis perſpirabilis ope morbi reliquiis allaboraret, ut hoc tempore periclitarentur adhuc morbi prioris inſultibus antea tacti.

§. III.

Non ſemper autem ita læte morbus noſter proceſſit, ſed imparatum corpus ad eliminandam hoſtilem materiem luctabatur diu, donec victoriam obtineret, aut victum ſuccumberet. Calor ille ardens duravit perpetuo, non ſolutus per cutis poros, aut per alias vias, quas ſibi Natura parat interdum, fauces intumuerunt, ut nonnunquam anginæ veræ ſeſe morbo ſociarent; præcordiorum pulſationes inſignes cum pulſu frequenti & duro, cutis ad tactum ardens, palpebræ clauſæ, oculi inflati & exſtantes, deliria perpetua priora comitabantur ſymptomata, ſegnis & alvus, urina tenuis; hanc tragœdiam agebant intercurrentibus nonnunquam intervallis tranquillis, tantis laboribus defatigati ægrotantes: Hæc præprimis obſervabantur in delica-

tulis & labe viſcerum abdominalium laborantibus, ut & in iis, qui ſuccis ſpiſſis undique turgebant, & quibus nullum ſanguinis ſtillicidium per nares ſeſe ſiſtebat. Verſus diem quintum tumores in collo apparuere, quos nonnunquam mors ſequuta eſt. Morbus dum ſuperatus videbatur, nec diæta exacta obſervabatur, obſtructis inde viſceribus abdominalibus, totum corpus reddebatur tumidum, aquoſis humoribus undique ebrium, unde cuncta inſequebantur ſymptomata, quæ tales obſtructiones comitari ſolent, ut novus ille hoſtis fuerit debellandus. Aliquando obſervatum fuit, abſceſſus in variis corporis locis efformari, qui præprimis internos petebant aurium receſſus, ruptique exedebant tympanum ut & oſſicula ſua cohæſione ſolverentur exciderentque, unde immedicabilis ſurditas oriebatur. Aliis interiora capitis petebat materies, oppreſſoque inde Encephalo, fatalis mors continuo inſequebatur; alii vero maraſmo confecti morti occumbebant pariter; parotides nonnullis ſupervenerunt, quibus reſolventium ope nonnunquam ſolutis & materie ad ſanguinem denuo translata, febrem rurſus accendebat, novaque prodibat exanthematum eruptio.

§. IV.

Hic morbus cum eidem ſe maculæ cutim obſidentes junxerint, hinc exanthematicis eſt adſcribendus; ἐξανθήματα enim ἐκθύματα Græcis & Latinis efflorеſcentiæ audiunt, quæ a morboſa conſtitutione generantur & ad corporis corticulum præternaturaliter deferuntur, ſive macularum vix cutem ſuperantium forma appareant, ſive puſtulas plus minus cutim exſuperantes referant, ſive denique in latum cum altitudine exporrigantur. Varia hæc exanthemata a corruptione humorum naſcuntur; dantur autem morbi febriles, quos vix non ſemper eruptio exanthema-

tum excipit, qui ideo exanthematici audiunt, & pro variis quæ inde ſolent oriri exanthematibus iterum diſtinguuntur. Ad hanc claſſem Morbilli pertinent; morbus nimirum catharralis, utplurimum epidemicus, ſub ſpecie febris continuæ acutæ invadens, qui exanthematibus maculas rubras ſupra cutem eminentes referentibus ſeſe declarat. Exanthematis vocabulo promiſcue utitur HIPPOCRATES pro quavis eruptione extus contingente, ut ex ipſius Scriptis colligere licet: ita *Libr. II. Epidemiorum Sect.* 3. appellat τρηχίσματα κεγχρώδεα, aſpretudines miliaceas. *Libr. V.* Filio Euphranoris exanthemata erupiſſe monet velut culicum morſus. *Libr. VI. Sect.* 2. τὰ πλάτεα ἐξανθήματα, ſeu latæ maculæ; *Libr. VII.* idem occurrit vocabulum, necnon in *Prænotion. ad Coacas Prænot.* 564. *In anxietate*, inquit, *laborantibus cum alvi turbulenta ſuppreſſione celeriter velut culicum morſus ad cutem erumpunt, & ad oculos lacrymoſus abſceſſus procedit.* GALENUS paſſim eodem utitur vocabulo; conf. *Lib. de Atra Bile, Cap. IV.* ubi de peſtilentia loquitur, quæ in longa æſtate facta eſt; *Quibus vero*, inquit, *ægrotis hujuscemodi ventris dejectio non accidit, iis corpus univerſum nigris puſtulis commaculatum eſt, quæ ſane illis non diſſimiles erant, quas Græci* ἐξανθήματα *appellant.* De *Methodo medend. Libr. V. Cap. XII.* ait: *In gravis hujus peſtilentiæ initio, quæ utinam ceſſet, juveni cuidam, cum jam novem dies ægrotaſſet, totum corpus puſtulis ſcatebat, velut omnibus, qui evaſerant.* In his autem locis exanthematis quidem nomine utuntur, verum circa eorum differentiam determinandam unice magnitudinem reſpiciunt. CELSO *Puſtulæ Pappulæ* audiunt, *de Medicin. Libr. V. Cap. XXVIII.* §. 15. & 18.

§. V.

Veteribus Græcis noſtrum morbum fuiſſe notum aut

ignotum, decidere non audeo; conſtat ex ſupra allatis nullibi apud priores Artis noſtræ Auctores accuratam hujus morbi deſcriptionem proſtare, neque ejus denominationem occurrere; Arabes primi Morbillorum ſigillatim meminiſſe videntur, ab illis ſaltem ejus denominatio originem traxit: AVICENNA *Canon. Libr. IV. Tract. IV.* de Febribus peſtilentialibus & quæ ſunt ejus omogenia cum Variolis & Morbillis agit *p.* 27. *de Morbillo*; eorum Hiſtoriam ſic orditur: *Scias*, inquit, *quod Morbillus eſt Variola cholerica, & non eſt differentia inter ea ambo in plurimo reliquarum diſpoſitionum, niſi quia Morbillus eſt cholericus & quod ipſe eſt minoris quantitatis & quaſi ipſe non pertranſit cutem, & non eſt ei altitudo de qua curetur proprie in principio ſui, variolæ vero in principio ſuæ apparitionis eſt eminentia & altitudo, & morbillus eſt minor variolis & minus accidit oculo, quam variolæ & ſigna apparitionis ejus proxima ſunt ſignis apparitionis variolarum, verum ſubverſio ſtomachi in eo eſt plus & anguſtia & inflammatio vehementior & dolor dorſi minor* &c. Ex hac morbillorum deſcriptione liquet, ipſi hunc morbum innotuiſſe, cum characteres quibus a variolis diſcrepant ibi expoſiti occurrant, ut ideo prima morbillorum tum deſcriptio tum denominatio ab Arabibus ſit repetenda. De denominatione interim parum erimus ſolliciti, cum ad hujus morbi integerrimam cognitionem & curationem parum conferat, nec utique multi intereſt, num Arabes ſub Morbillorum vocabulo parvam peſtem, num parvum morbum intellexerint, noſſe.

§. VI.

Ut ſigna nunc noſtri morbi eruere queamus, neceſſe eſt, ut & ea proponamus, a quibus ipſe differentiam ponit; cuncta enim hæc non parum lucis affundunt, ſi ad

intimam illius cognitionem, tum & curationem attendis; ſingula evolvenda ſunt hujus ſymptomata, cum quilibet morbus ſibi priva habeat, & ex eorum cognitione ut & cauſarum, unde enaſcuntur atque vigent, tuta modo auxilia depromi queant. Varia primo noſtri morbi phænomena cum iis quæ in ſimili morbo Auctores obſervarunt, congeram; ex his enim Obſervationibus cum præſente caſu invicem collatis, elucet, quid cum aliis commune, quid ſibi peculiare habeat, ut tandem certum de urgente morbo ferre judicium valeamus.

§. VII.

Quem primo noſtri morbi decurſum tradidimus, quanquam in ægrotos non adeo noxiis effectibus ſævierit, nec lethalis fuerit, aliquid tamen notabile exhibuit; primo enim a ſuſcepto contagio die videas, raro exemplo erumpentia exanthemata, ut jam tunc indolem ſuam malignam oſtenderet morbus, in multis tamen ſubjectis nequaquam urgentia admodum ſymptomata exhibuit; alii vero totam ejus vehementiam experiebantur: omnia quæ in his apparuere ſymptomata, calor puta inſignis ægrotos urgens perpetim, ſumma inquietudo, deliria perpetua, miſerrimæ illæ anginæ, ſuffocationis periculum minitantes, & alia quæque indolem morbi gravem ſatis ſuperque oſtendunt, ut ideo maligni vocabulo hunc inſignire haud dubitemus. Malignarum ejusdem ſpeciei Epidemiarum plurimas paſſim ſuppeditant Obſervationes Auctorum monumenta, quasdam hic referre erit operæ pretium. Forestus *de Febrib. Libr. VI.* plures affert de Variolis & Morbillis obſervationes; de Morbillis malignis & fluxu alvi lethalibus *Obſ.* 45. meminit, pariter de Epidemia morbillorum maligna ex aëris humida diuturnaque conſtitutione *ſuperiori Obſ* mentionem facit. In *Ephemerid. N. C. Decur. I. A°. II.* de Morbillis,

billis, ex quibus facies puellæ adeo defœdata fuit, ut labia pene fuerint conſumpta, mentio fit: *eod. loc. A°. IV. Obſ. IV. de Parotidibus*, exempla occurrunt, Morbillorum eruptioni ſuccedentibus, Poſonii & Argentinæ A. 1671. tempore, quo æger a morbo liber credebatur, accedente denuo febricula cum virium languore ac proſtratione, quas ſubito mors excipiebat; hi tumores duri ad tactum remanebant, nec ad ſuppurationem deduci poterant. *Obſ.* 35. Morbillos admodum malignos in Norvegia ſuperveniſſe refertur, diarrhœa & convulſionibus lethales. *Decur. I. A°. VI. Obſ. XLII.* de angina ſuffocante ex Morbillis epidemice Bregenſi graſſantibus ſuperveniente mentio fit. De Pleuritide ex Morbillis ſuperveniente in *Ephemerid. N. C. Decur. I. A°. IV. Obſerv. VII.* exemplum proſtat. *Decur. III. A°. IV. Obſ. XI.* Epidemiam Morbillorum admodum malignam Ulmæ accidiſſe monet ROMELIUS, hic & tuſſis obſervabatur pertinaciſſima ſuffocansque, & aſthma plurimis funeſtum. *Ibid. Centur. V. Obſ. LVIII.* de Morbillis mentio occurrit, qui intra unius menſis ſpatium redibant, & ægros torminibus & diarrhœa dyſenteriæ inſtar cruenta dire admodum excruciabant. *Eod. loco Vol. III. Obſ. II.* Morbillos Illuſtriſſimæ cuidam Familiæ admodum funeſtos, qui ſeptem perſonas ſanguine ſibi conjunctas unius menſis intervallo peremerunt, accidiſſe refertur. *Act. Phyſic. Medic. T. X. Obſ. LXIV. in Scholion p.* 229. THEBESIUS, Phyſicus Triptovienſis in Pomerania, meminit, ſe Morbillos obſervaſſe, Purpura & Petechiis complicatos, Variolis ſuccedentes. De Morbillis, ex quibus puellæ nares coaluerunt & uterque oculus panniculo, unguis inſtar, mediam pupillam occultante, affligebatur FELIX PLATER loquitur *Obſ. Libr.* 3. *p.* 601. Ill. HOFFMANN *Medic. Ration. Syſtem. Tom. IV. Cap.* 8. plures affert Obſervationes de variis morbis poſt hanc febrem & exanthematum eruptionem ſupervenientibus, tum ab ipſis

Morbillis, tum pravo regimine inductis, ita *Obſ. I. p.* 192 de Puella meminit, quæ a ſuſcepto Contagio morbilloſo tunc epidemico Exanthemata expulſit, remanente tuſſi vehementiſſima, Capitis & oculorum dolore, maculæ diſparuerunt, ſuperſtite capitis & oculorum dolore; morbus cum ſuperatus videretur, denuo omnia apparuere, quæ morbum novos parare inſultus docent ſymptomata, prodibat poſtea Purpura rubra intermixta alba ſeu miliari, & dolor in oculis & capite ſupra frontem pertinaciter inſiſtebat, convaluit tandem, ſed imminutio viſus accidebat, quæ ſenſim incrementa cepit, ita ut intra menſem in veram guttam ſerenam tranſiret. HUXHAM *Conſtit. Aër. p.* 79. menſe Januario Anni 1733 Morbillos ſuperveniſſe monet, qui plures infantes interfecerunt, declinante nempe, ut ait, morbo, quaſi Peripneumonia ſuffocatos. De Angina & Peripneumonia acutiſſima, poſt Morbillos Londini epidemicos poſt Annum 1670, ex quibus ſingulis hebdomadibus ad 300 usque moriebantur, obſervatis refert MORTON *Oper. Medic. T.* 3. *Cap.* 3. *p.* 25. & 26. De Morbillis, qui A. 1755 menſe Septemb. Londini graſſabantur, cæterum benignis, quos tamen paucis diebus poſt ſuperatum morbum ſæpius exceperunt febres continuæ vehementiores, cum ſtupore, tuſſi, ſpirandique difficultate, loquuntur *Commentar. Lipſienſ. Vol. V. Part. IV. p.* 692. *Eod. loc. Vol. VI. Part. III. p.* 435. de Morbillis epidemice in agro Erlangenſi ſub finem æſtatis anni 1756 graſſantibus, mentio fit; hic quidam effectus maligni obſervabantur, nonnulli hisce bis affligebantur, ſecundo die perficiebatur eruptio, languor & laſſitudo, ut pedibus vix poſſent inſiſtere convaleſcentes, poſt evaneſcentiam macularum ſuperſtites fuere, porro acceſſerunt interdum animi deliquia & extremorum frigus, inquietudines, palpitationes &c. In *Commerc. Litterar. A.* 1732 *hebdomad.* 38. Morbilli deſcribuntur hoc Anno Jenæ epidemici, qui re-

crudeſcente quinto vel ſexto die febre malignum genium oſtendebant, cum deliria non ſolum, ſed & anxietates cordis vigiliæque vomitus ac diarrhœa ſibi locum in ægrotis vindicarent, Purpura alba una cum Morbillis nonnullos aggrediebantur noxio effectu. Ill. TISSOT *Avis au Peuple* 3 *Edit. Cap. XIV. p.* 254. monet, Lauſannæ Morbillos epidemice A. 1758 accidiſſe, tuſſi comitante admodum valida ac pertinaci; *p.* 258. de Puella quadam mentionem facit, cui triennio poſt expertos Morbillos, quo tempore ſemper morboſa fuerat, exulceratio in collo accidit, & quæ tandem curata fuit.

§. VIII.

Hæ circa Morbillos Obſervationes ſufficiant. Plures inſuper addere poſſem; verum ex his ſufficienter innoteſcit, quam diverſa facie ſeſe ſiſtat hic morbus pro varia epidemica conſtitutione, quamque pernicioſos ſæpenumero exerat effectus. Ordinarium hujus febris typum, ſi Auctores conferimus, videmus tertio aut quarto die a ſuſcepto contagio, quod ſi non ſtatim febris, ſaltem hujus prodromi declarant, erumpere exanthemata, ocyus ſerius alias; nimia in erumpendo celeritas, ut & nimia tarditas, vehementiam morbi docere videntur: conf. NENTER *Fundam. Medicin. theoret. pract. Tom. II. Libr. V. Cap. XIV.* §. 7. *Morbilli*, inquit, *ante ordinarium tempus, aut etiam nimis tarde effloreſcentes, ſemper monſtri quid alunt.* Ita in noſtro Caſu primo vidimus a ſuſcepto contagio die jamjam prodire maculas morbilloſas, ut ex hoc jam Phænomeno monſtroſi quid miaſmati inhæſiſſe ſuſpicari licuit, neque enim benignos Morbillos tam cito erumpere videas, maxima Contagii vis requiritur, ſola hisce illico præſtandis effectibus apta; nec minus validas requirit tale Contagium Naturæ vires, quas irruente ſuo impetu proſternit

proſternit ſæpe integras, ut extus expelli miaſma nequeat, tunc tardat eruptio ultra conſuetum terminum. Parotides in noſtro morbo ſuperveniſſe monuimus, ſimiles retulimus ſupra Obſervationes, hi autem tumores magnitudinem morbi ſemper oſtendunt, debilitatam nimirum Naturam agnoſcunt, quæ ad extimam æquabiliter ut alias ſolet, corporis ſuperficiem, materiem morbificam depellere nequit, quoad partem glandulas ſubit, ibique eo pertinacius defigitur, quo magis intricata harum fabrica ipſi receſſum præbet difficilem, is autem ex eventu ſimilium tumorum in noſtro morbo, quomodo procurari poſſit, oſtendemus, cum ad Curam devenerimus. Haud levem inſuper attentionem merentur illi abſceſſus, quos hinc inde ſuperveniſſe monuimus, qui aurium ſubeuntes receſſus ſævas adeo excitarunt tragœdias. Ill. Huxham *l. c. in ſeqq. p.* 80. morbum catharrhalem epidemicum eodem tempore, quo Morbilli graſſabantur, ſupervenientem recenſet, unde inter plura alia ſymptomata tinnitus aurium plurimi experiebantur, multosque in auditorio meatu dolor acutus in abſceſſum nonnunquam deſinens excruciabat. Id evenire haud raro in febribus acutis docent Practicorum obſervata, in Morbillis autem non ita frequens ſymptoma, quippe dum in hoc morbo facta metaſtaſi tumores enaſcuntur, emollientium & reſolventium vim reſpuunt, nec ad ſuppurationem deduci poſſunt; unde autem hi abſceſſus? Numquid vehementiam morbi, docent humores mirum in modum peſſumdantis, ut ad aliquam corporis partem vi febris delati, ſic ubi moram inibi patiuntur, in verum ichorem brevi mutentur, omnia depaſcentem & cariem oſſibus inferentem, hinc ſurditas a ſimili humore ad aures delato oſſicula auditus vorante, ut ſublato vinculo exciderent, miſere quosdam per totam vitam ſævas admodum hujus morbi pœnas luere coëgit.

§. IX.

Ex noſtro caſu ut & ex Auctorum circa ſimiles Epidemias Obſervationibus, colligimus, in hoc morbo maligne incedente citius, ſerius, haud tamen certo tempore ſecundo interdum, tertio alias ſeriusque multo a ſuſcepto contagio die quamdam fieri eruptionem, ut hinc inde cutem maculis deturpatam videamus, unde ægri levamen illico accipiunt, ſanitatemque ſibi fingunt proximam, idque Medico ſtatum ægrotantis reſpicienti haud ſecus imponit ſæpiſſime, donec de novo febris recrudeſcat novasque morbus accendat turbas, unde ſtatim vires proſtratæ, Naturam expulſioni materiæ morbificæ allaborantem adjuvare nequeunt, ſævit intus, accedunt metaſtaſes, hinc tumores quos recenſuimus in caſibus ſupra allatis, nec non in noſtro ſupervenerunt, morte interdum accerſita funeſti; pariter apoplexiæ, dum materies morbi ad encephalum urgens, eo validius agit, quo delicatior hujus viſceris fabrica, talem impetum minor eſt ſuſtinendo, eadem dum ad inteſtina ruit materies, abſceſſus efformat, glandulas meſaraicas obſtruit, ut & alia viſcera, hinc hydrops, inde etiam maraſmus, qui ſenſim ægrotos ad ultima duxit. Pro diverſis autem ſubjectis noſter morbus diverſa etiam ſymptomata exhibuit, hinc ii qui ſuccis turgebant nimiis magis opprimebantur, debiles & quadam viſcerum labe affecti, utut Natura in his ſegnius agat, funeſtam præprimis ipſius vim experiebantur; in his veræ anginæ tumores hinc inde ex glandulis circa collum ſituatis erumpentes, deliria perpetua apparuere. Tali ſymptomatum ſerie ſtipatus ſeſe exhibuit noſter morbus, effectibus ſuis ſat inſignis ut aliquam mereatur attentionem. Nunc ordo poſtulat ut characteres, quibus Morbilli a reliquis exanthematicis morbis dignoſci queant, parum rimemur.

§. X.

Differunt Morbilli tum a ſe invicem, tum ab aliis ejusdem generis morbis: A ſe invicem, dum alii ſporadici huc illuc quosdam corripiunt, & hi quidem benigni utut mite ſemper & absque ægrotantis periculo ſtadia ſua decurrere obſervantur; alii epidemice invadunt, plus, minus periculoſi, vix tamen periculo vacant, interdum vere maligni; forſan & congruos dices, qui juvenilem modo ætatem aggrediuntur, & incongruos cum & adultis ſenibusque haudquaquam parcere deprehendamus. Sunt qui Rubeolas Variolodes numerant, in Gallia obſervatas *Rougeole boutonée* dictas, vid. Ill. SAUVAGES *Noſolog. Method. Claſſ.* 3. §. 4. *p.* 391. A Morbillis vulgaribus hic morbus differt, eo quod, ut Ill. Vir tradit, maculas acuminatas multo majores efforment, ſuique veſtigia relinquant. Circa Morbillorum cum aliis hujusdem generis morbis differentias ſuccincte monebimus, maximam hos inter & Variolas eſſe affinitatem; eſt enim uterque morbus utplurimum epidemicus, contagioſus ac neonatis præprimis infeſtus, ſymptomata quæ utrumque concomitantur habent fere unusquisque eadem, præterea Morbillorum morbum varioloſum ſæpenumero comitari deprehendes, ut uno obtinente etiam & alterum obtineat, aut ſeſe mutuo excipiant, id jam obſervaſſe ſe FORESTUM, ſuis probat Operibus *l. c. Obſ.* 41. de Morbillis & Variolis publice Alchmariæ graſſantibus, & *Obſ.* 43. de puero bis Variolas habente, & poſtea in Morbillos incidente, quin & uno eodemque tempore, utroque infantes Monspelii laboraſſe monet SIDOBRE *de Variolis & Morbillis Cap. ultimo.* De Morbillis Variolis ſuccedentibus Obſervationes pariter ſupra occurrunt §. VII. Ill. DE HAEN *Rat. Medend. Part.* 2. *Cap.* 6. *p.* 115. poſtquam ex ETTMULLERO, SIDOBRE, DIEMERBROEC, HARRIS & *Actis Phyſico - Medicis* Obſervationes

adduxit circa Morbillos, qui Variolas comitantur, addit: *Puella habet confluentes Variolas, hæc ubi febris poſt ſuppuratoria deferbuerat, illico Morbillis maxime epidemicis corripiebatur & moriebatur;* pergit deinde: *Circa vernos morbos A.* 1752 *invenio hoc a me ſcriptis inſertum; promiſcue obtinent Variolæ & Morbilli, ſymptomata ſunt ſæpe eadem, oculos madidos, ſemiconcretos, linguam albam, ſomnolentiam, vomitum, febrim, delirium &c. videas ſucceſſive iisdem in ædibus occupare infantes, quorum alii Variolis, alii Morbillis laborare demum incipiant, fere nulla familia, ubi vel ſolæ Variolæ, vel ſoli graſſentur Morbilli, deinde aliis tertio, aliis quarto, aliis ſexto, ſeptimo, imo decimo quarto die ab inchoata febre prodeunt.* Hisce equidem notis conſanguineos quaſi, (fiat venia verbo) hosce morbos poſſumus conſiderare; diſcrepant autem effectibus potiſſimum: omnia quæ contagium morbilloſum ſolent comitari ſymptomata, tenuiores humores infici docent, oculorum puta lacrymatio involuntaria, rubedo, dolor vehemens, mira ſenſilitas ab acri irritante tenui humore, in faucibus dolor acutus, tuſſis ſemper moleſta, immanis ſæpe ac ferina, reſpiratio difficilis, anheloſa, ab eadem lympha, quæ continuo pulmones irrorat uberrima acri reddita, bronchia indeſinenter laceſſente, ſternutatio frequens, ſtillicidium per nares ejusdem liquoris & alia, quæ tanquam pathognomonica noſtri morbi haberi poſſunt; hæc enim ſymptomata in Variolis & Febre Scarlatina adeo frequentia non reperies, vomitus præterea multo in Morbillis quam Variolis frequentior deprehenditur. Morbillos ad Eryſipelatis naturam accedere putat BALONIUS *Oper. Medic. Libr.* I. *Conſtitut.* 4. idem cenſet Ill TISSOT *Avis au Peuple Cap. XIV. p.* 238. en propria egregii Viri verba: *Je réitère encore, que le venin de la Rougeole eſt extrèmement acre, il paroit avoir quelque rapport avec l'humeur bilieuſe, qui produit les Eréſypeles.* MORTON *Oper. Med. T. III. Cap.* 3.

p. 17. *hunc liquorem peculiarem ſibi indolem habere* docet; *ei affinem, quæ e tendinibus in rheumatica inflammatione ſcatet.* Lympham in Morbillis inquinari, clarius docent eventus Exanthematum, Variolæ nimirum accedente tempore in ſuppurationem abeunt, cum in Morbillis, tenuis acerrimus humor in cuticulam extravaſatus, huc aliquandiu ſtagnans ejus fibras corrodit & tandem Eryſipelatis inſtar in ſquammas reſolvit, inde fit, ut in Morbillis lædatur modo Epidermis remanente integra cute, ſecus ac in morbo Variolarum, qui ipſum ſanguinem afficit, & in cutem ſua figit Exanthemata puſtularum forma eminentia, quæ facta ſuppuratione profundas ſæpenumero poſt ſe relinquere ſolent cicatrices. Febrem Scarlatinam pariter noſtræ quam maxime æmulam cenſes, quippe quæ cum eadem invaſionis ratione convenit, ipſo demum Exanthemate ab ea diverſa: Morbilli enim efflorescentias efformant interſtitiis diſtinctas, figura diverſas, cum in Febre Scarlatina tota cuticula una fere continua rubedine ſeu inflammatione perfundatur, ob intentiorem etiam Exanthematum rubedinem hæc Febris Scarlatinæ accepta nomine a Morbillis diſtinguitur. Maculæ ſcorbuticæ etſi quoad earum figuram Morbillorum Exanthematibus ſatis ſint ſimiles, color in principio purpureus, demum obſcuro rubicundus tandemque lividus, quo gaudent hæ maculæ, ſymptomata inſuper quæ hunc morbum ad talem gradum provectum, ut jam Exanthemata erumpant concomitantia, eum cum noſtro confundere non ſinunt; quin & febrim in ſcorbuticis utplurimum abeſſe novimus, quæ in Morbillis nunquam deeſt. Differunt Morbilli a Purpura Urticata, exanthematibus latioribus & magis elevatis; in Purpura alba maculæ oriuntur parvæ, quarum in medio puſtulæ exurgunt exiguæ, pellucidæ, innumerabili copia, ut & in Rubra, quæ eminentiis efformatur granorum milii inſtar acuminatis duris, aſperisque.

Petechiæ colore cœruleſcente a Morbillis differunt nimis, ut inter utrumque morbum ambigere queas, quin & malignitatis ſemper ſunt participes ſecus ac Morbilli, qui utplurimum benigni occurrunt. Hæ ſunt differentiæ ſeu characteres, quibus Morbilli a reliquis hujusdem generis morbis quocunque caſu & tempore poterunt dignoſci, notandum tamen, pravo adhibito regimine præſertim calido, ut monet Ill. SYDENHAM *Cap. V. p.* 121. aliique Practici, Exanthemata in Morbillis mox liveſcere, dein nigreſcere in adultis præprimis, id autem prudentem Medicum decipiet nunquam. His præmiſſis, Morbillorum Ætyologiam noſtrum præſertim caſum reſpicientem, quantum ſinunt ingenii vires, exponere tentabimus.

§. XI.

Conſtitutiones Epidemicæ ſuis ſe effectibus unicuique palam produnt, unde vero enaſcantur, quasnam foveant cauſas, plurimæ undique tenebræ; maximi eſſe momenti ſenſibilium Athmoſphæræ qualitatum obſervationem in ſimilium morborum indagatione, jam agnovit Medicinæ Parens HIPPOCRATES, idque ulterius confirmarunt ii, quorum induſtria huc allaboravit; certum eſt tamen, manifeſtas aëris qualitates hisce detegendis haudquaquam ſufficere, ſiquidem anni quoad manifeſtam aëris temperiem ſibi plane conſentientes diſpari admodum morborum agmine infeſtantur, ut SYDENHAM monet *de Morbis epidemicis Cap.* 2. *p.* 22. Evidentiæ obſtaculum hoc eſt, quod aliud quid ſit agnoſcendum, unde Athmoſphæra depravetur; quid autem illud ſit, cujusnam ſit indolis, ut dato tempore Morbillos alio Variolas, huc Purpura, illo Febris Scarlatina ad excluſionem concitet, hic ſi unquam maxima verſantur caligine Medici, ut generalia modo de hoc pronuntiari queant. Forſan & quis putet, me vitio ſubre-

ptionis in experiundo hic corripi, qui diverſæ Athmoſphæræ conſtitutioni talia tribuam, quæ variæ humorum diſpoſitioni potius competunt, novi equidem, quod utraque hæc exanthemata, uno eodemque tempore, ſub eadem aëris conſtitutione ſeſe ſiſtentia, ultimam potius hanc ſententiam probent: Quicquid ſit, cum tamen omnium fere Epidemiorum cauſæ ſint conſtitutiones aëris depravati, ipſumque arcere aut fovere videatur ipſum Contagium, ut inquit Ill. HUXHAM *Conſtitut. Aër. Prolegom.* optimum etiam medium erit, Athmoſphæræ tempeſtatum obſervatio, contemplatio, quoad Epidemiorum cauſas pervenire poterimus. Quod primo Morbillos ſpectat ſporadicos, nequaquam ad cauſam communem confugere opus eſt, ut eorum origo explicetur, latens intus ſeminium vix non omnibus hominibus commune evolvitur, ſicubi in victus ratione talia accidunt, quæ humoribus labem quamdam inferunt, unde ipſum in actum deducatur, colluviem ſetoſam plurimum huc conferre non eſt quod dubitemus; inde accedente motu, febris excitatur morbilloſaque expellit exanthemata, ideoque mitis ſemper hæc febris deprehenditur. Aliud quid agnoſcunt Morbilli, qui epidemice graſſantur, vitiumque toti aëri conſperſum oſtendunt, unde fit, ut plurimos ſimul opprimant.

§. XII.

Circa Morbillorum ſeminium variæ fuerunt Veterum ſententiæ; plerique horum, inter quos Arabes & WILLISIUS *de Febrib. Tom. I. Cap. XV.* a ſanguine menſtruo diſpoſitionem naſci exiſtimarunt ab aëris vitio in actum deducendam. Hujus aſſerti veritas non video quomodo probari poſſit, nec mihi poſſum imaginari, reliquias ſucci nutritii fœtus in utero, unde diſpoſitionem oriri ſtatuunt, quodam corporis loco tamdiu poſſe deliteſcere, ut ad ſe-

nectutem usque ſine evolutione permaneant, poſt tot mutationes, quas toto hoc tempore humores experiuntur, tot ſe & excretiones, quæ per vitam peraguntur, nec inde pateret, quare ab hoc morbo immunes perſtarent nonnulli, dum hoc omnibus vitium eſſet inditum, nec ſine noxa tamdiu poſſet vitioſa materies in corpore commorari; repugnare hanc ſententiam principiis phyſiologicis, cuicunque rite attendenti patet. Haud firmiori nititur talo recentior, licet ingenioſa, quam proponit DE HAHN, ſententia, conf. *Morbilli Variolarum Vindices*; neque enim hæc vaſorum cutis lymphaticorum evolutio in Morbillis, uti ſanguineorum in Variolis, quamquam multis verbis ab ipſo Auctore defenſa, ſatisfacit; analogia quarumdam plantarum, qua tum ſenes varioloſos, tum & eos, qui bis hunc morbum experiuntur, (quod in Morbillis frequens) ſuo ſyſtemati accommodare nititur, haudquaquam rem abſolvit, neque video, quare res, quæ ſecundum hoc ſyſtema naturaliter contingere deberet, per morbum ſeſe manifeſtaret.

§. XIII.

Aëris præcipuos eſſe in producendis Epidemiis effectus monui §. XI.; licet igitur nihil audeam circa naturam ſeminii decidere, tamen aërem tanquam cauſam procatharticam noſtræ Epidemiæ conſiderandum eſſe nullus dubito; ut melius pateſiat ratio, quæ eandem produxit, conſultum fore duxi, huicce Diſſertatiunculæ apponere Obſervationes meteorologicas temporis noſtrum morbum immediate antecedentis & concomitantis, has mihi benigne communicavit Illuſtris SPIELMANN, Præceptor meus nunquam non maxima cura proſequendus.

§. XIV.

Occurrit primo Julius menſis intemperie ſua notabilis & Epidemiis gignendis aptiſſimus; uda erat, quæ per totum ferme hujus decurſum obtinuit tempeſtas, ut aqua tunc temporis ex cœlo delapſa ſex ferme pollicum altitudinem exæquaret, raro certe exemplo, hinc quam inſignes hoc tempore mutationes corpus experiri debuerit, pronum eſt colligere; inter humidum calidumque cœlum, tempeſtatem præ aliis omnibus corpori infeſtiſſimam longo ſatis temporis ſpatio homo fuit verſatus; ſurrexit inde humorum ad corruptionem diſpoſitio, cum talem aëris temperiem ad producendam putredinem apprime facere nemo non noverit; calidos ſiccosque tres ſequentes menſes fuiſſe obſervamus, ſerenoque cœlo corpora ſeſe reficere, ſordes in humoribus generatæ per perſpirationem expelli potuerunt, inſignes vero in Thermometro mutationes Auguſto & Septembri menſe obſervabantur, ut vix non ſemper hoc anni ſtatu fieri aſſolet, ita ut autumnum plurimis morbis occaſionem præbere conſtanter exiſtimarint experientia convicti Auctores; hinc Celsus *de Medicin. Libr. II. Cap.* 1. *Qui ſit, ut Autumnus plurimos opprimat, nam fere meridianis temporibus calor, nocturnis atque matutinis, ſimulque etiam veſpertinis frigus eſt, corpus ergo & æſtate & ſubinde meridianis temporibus relaxatum ſubito frigore excipitur*; in ſeqq. addit: "*Neque aliud magis tempus peſtilentiæ patet, cujuscunque ea generis eſt*: Nova hinc corruptelæ cauſa humoribus ſurrexit. Novembro menſe ſemper circa punctum congelationis hærebat liquor Thermometri, ſequens menſis etiam valida exhibuit frigora, quæ Januario tandem maxima perſentiebantur. His igitur menſibus, quæ per æſtatem collectæ remanſerunt ſordes, & illæ, quæ autumno de novo acceſſerunt, retinebantur in corpore, novæ illis acceſſerunt ob impeditam magis ma-

giſque per frigus perſpirationem, corrumpebantur inde humores, lædebantur ſolida, Epidemiæ initia cœperunt. Haud minus ſequens tempeſtas noſtro ſuſtinendo morbo contulit, quam prior generando apta fuit, Februario nimirum menſe, crebro ad temperatum gradum aſcendit liquor Thermometri, udaque obſervabatur aëris temperies. Martius pariter toto fere ſuo decurſu humidus fuit, & crebras frigoris & caloris viciſſitudines habuit, ut & Aprilis. Majo cum calore humiditas obtinuit. Factum eſt ideo, ut corpora collectas exuere ſordes perſpirabilis ope non potuerint, cum humiditas adeo frequens fuit, calorisque & frigoris viciſſitudines eo adhuc obſtiterunt magis. Epidemia diutius protrahebatur, accedente dein æſtatis calore, minus aptus fuit, qui inductam humoribus labem corrigere corporaque illico reficere valeret. Patet igitur ex ſupra dictis noſtræ Epidemiæ ortus durationisque ratio; FORESTUS a ſimili conſtitutione aëris *l. c. Obſ.* 44. Epidemiam Delphenſem deducit: *Cæterum*, inquit, *eo tempore, quo Delphenſes laborabant, fuit aër longo tempore humidus, nebuloſus, putredinem inferens; unde minus admiratu dignum erat, in tali conſtitutione admodum diuturna has malignas & contagioſas febres incepiſſe & longo tempore perduraſſe.*

§. XV.

Corruptio humorum, quæ ratione ad §. anteced. dicta ex aëris vitio obtinuit, hac vice ita erat comparata, ut Morbillorum materiem genuerit, hæc quomodo ab aliis ſubſtantiis, quas etiam humorum corruptio producit differat, ſupra §. X. oſtendi. Infantes & phlegmaticos maxime nec non homines rure viventes huic morbo præprimis fuiſſe obnoxios erat obſervatum, idquod & perſpirationi apud priores ſub minus favente aëre facilius quam in aliis ſupprimendæ deberi videtur, & chylo crudo, victum

dyſpeptum gignenti, vires chylo aimato-poieticas debilitanti, unde crebriores ſordes, nec non humores ad corruptionem tendentes naſci neceſſe eſt. His addatur, quod homines rure viventes per ipſam, quam ſequuntur, vitæ rationem crebrius perſpirationis viciſſitudines experiantur, infantum & phlegmaticorum ſolida debiliora, humorum corruptiones minus corrigere queant.

§. XVI.

Diagnoſis noſtri morbi ex enumeratis §. VIII. & IX. hujus ſymptomatibus facile deducitur. Prognoſis pariter ex ibi dictis facile liquet, ne ideo Lectori meo ea, quæ præmiſi, hic revolvendo moleſtus fiam, ſtatim ad curam progredior.

§. XVII.

In Curatione noſtri morbi Medentes ad tres potiſſimum Indicationes reſpexerunt; ad Febrim nimirum moderandam; 2do ad acrimoniam humorum leniendam, diluendam, expellendam; 3tio ad varia ſymptomata morbum concomitantia & conſequentia tollenda. In principio morbi igitur, calore exiſtente ſummo, venæſectiones inſtituebantur, & pro ratione circumſtantiarum etiam iteratis vicibus reiterabantur, temperantia eodem tempore exhibuerunt, cum Sero Lactis tamarindinato, aut Hordei decocto Succo Citri acuato, quibus & Nitrum & Kermes minerale junxerunt, inde Natura lenem tranſpirationem promovit; cum deliria accederent ſinapiſmi & veſicatoria fuerunt applicita, enemata frequentiora data, quæ iis quibus ſtricta perſiſtebat alvus parum etiam irritantia exhibebantur; ſi catharrhalia ſymptomata, tuſſes, anginæ ſpuriæ ſeſe ſociabant, Cataplaſmata externa, Gargariſmata emol-

lientia, linctus demulcentes, ecclegmata pectoralia propinabantur, cum potu theiformi demulcente. Morbo ſuperato & metaſtaſi facta, ad ea reſpiciebatur, quæ in novo morbo adhibenda ſuadet Ars noſtra, nunquam ſepoſita primarii morbi conſideratione, ſi tuſſis ægros corripiens de metaſtaſi ad pectus facta metum injecit, potulenta demulcentia & pulmonum vaſa reſerantia in uſum trahebantur, ut materies morbi vaſis impacta reſolveretur, & ea tandem reſoluta purgantibus lenioribus e corpore educebatur: Si tumores varii metaſtatici relicti fuerunt, reſolventia, quæ ſi voto non ſuccederent, maturantia applicabantur, & convenienti methodo tractabantur; ſi reſolutio obtinebatur, eliminata dein materies fuit per ea loca, ubi Natura tendere cœpit. Si ſuppuratio accidebat, ſecundum Artem eidem proſpiciebatur, & reliquiæ morbi tum purgantibus lenioribus, tum lenibus diaphoreticis e corpore educebantur. Si ob debilitatem pulmonum tuſſes ægros affligebant, roborantibus leniter Medicamentis, potibus theiformibus ex herbis roborantibus, Extractis pariter amaris nec non lacticiniis, effectus felices obtinebantur. Si ad viſcera abdominalia ſe recepit materies, & membra jam aqua turgida intumeſcere cœperunt, aperientia exhibebantur, ubi & ſucci antiſcorbutici & ſquilla cum Sero Lactis optatum præſtiterunt effectum, quibus & Sal vegetabile & Terra foliata Tartari adhuc jungebantur. Si ſub horum remediorum uſu alvus ſuo officio non fungebatur, Enemata applicabantur ex Sero Lactis parata, quibus & Mel admiſcebatur, inde duplex obtinebatur effectus, ut alvus nimirum ſolveretur, & pars quædam abſorpta contra viſcerum obſtructiones militaret, hæc etiam purgantia mitiora ſubſequebantur.

§. XVIII.

Hac ſola curandi methodo egregii hujus urbis Practici

tot pericula, quæ rure plurimos tutis auxiliis deſtitutos enecarunt, a ſuis ægrotis procul removere norunt; conſentaneam hanc methodum cum ea, qua optimi utuntur Practici, deprehendes, ſi eorum opera ſedulo ſcrutaveris, præcipua hic conferam. Circa venæſectionem in principio morbi inſtituendam, quamprimum vehementia apparent ſymptomata, caput ſi nimis opprimi videamus, valide febris ſi urſerit, ſummæ inquietudines, deliria, dyſpnœa acceſſerint, optimum præſtare auxilium, vix non omnes Auctores contendunt, SYDENHAM *de Morbis epidemicis Cap. V.* hanc ubi regimen calidum talia induxit ſymptomata, uti dyſpnœam, quæ Peripneumoniæ metum incutere ſolet, adhibendam cenſet; *profecto*, inquit, *haud paucos infantes hoc ſtatim ſymptomate enecandos miſſo ſanguine eripui.* Quidni autem hoc remedio uteremur, ſicubi morbi vehementia tale quid inducere valet? ſi ætatem reſpiciens venæſectionem tenellis infantibus inſtituere reformides. omnem valebunt ea de re removere ſollicitudinem ejusdem egregii Viri verba, qui *l. c. Neque eſt*, inquit, *cur quis miretur, me in tenellis infantibus venæſectionem inſtituendam ſuadere, quum ſanguis, quantum ego hactenus potuerim obſervare, haud minus tuto ex eorum venis quam ex adultorum extrahatur.* HOFFMANN *Medic. Syſtem. T. IV. Part. I. Cap. VIII.* venæſectionem ad Morbillos ſummopere laudat. MEAD *de Variol. & Morbill. p.* 73. *& ſeqq.* ejus etiam utilitatem extollit, ſive in principio morbi, ſive facta eruptione inſtituatur. TISSOT *l. c. Cap. XIV. p.* 255. iteratam venæſectionem, ſi gravia adhuc perſtent ſymptomata, ſuadet. Eximius TRALLES *Uſus Opii Sect. II. p.* 146. *& ſeq.* etiam his adſtipulatur: Hoc certe adminiculo de vi morbi aliquid detrahimus, Febris imminuendo vehementiam, Pulmonum inflammationi ſemper metuendæ ſuccurrimus, præterea Naturæ criſin molienti ſuppetias ferimus, quibus felici tandem opera extus morbum eliminet; quantitatem

ſanguinis

ſanguinis extrahendi metiuntur ætas, morbi vires. Hoc uno remedio in principio morbi inſtituto, dum ſymptomata gravia urgent, eruptionem provocamus æquabilem alias haud ſuperventuram; ſanguis ſane celerius motus volumine ſuo vires proſternit, vaſa minora comprimit, transſpiratio non ſuccedit, calor ſiccus membra quaſi adurit, & durante cordis & arteriarum impetu denſatur ſanguis, increſcit calor, humores ad putredinem diſponuntur. Ubi temperantia morbi vi ſuperandæ imparia eſſe videntur, & Naturam metaſtaſes ad viſcera nobiliora moliri apparet, tunc ad revellentia veſicatoria, ſinapiſmos, pediluvia confugere ſuadent Artis Proceres, inter quos celeberr. Tissot *l. c.* huc & diluentia ſemper convenire, ut perſpirabile promoveatur, per ſe liquet. Ad tuſſim ſedandam quantæ ſint venæſectionis vires, Sydenham *l. c.* evicit. Ill Tralles *l. c. p.* 149. ad ſedandam tuſſim etiam Opium commendat, nunquam Noſtrates ad illud confugere fuerunt coacti. Refrigerantia ſemper temperata manu exhibuerunt, præprimis in ſecundo morbi ſtadio, ubi vires jamjam plurimum erant debilitatæ; hinc verſus interiora urgebat morbi materies, ita ut nitroſa exhibendo, hujus expulſioni adhuc magis obſtitiſſent, quin & irritando ad inteſtina hanc facile potuiſſent derivare, funeſtasque diarrhœas excitare, diluente autem, acidiuſculo liquore, Sero Lactis, Succo Citri acuato, pro temperando leniori æſtu erant contenti. De refrigerantibus nimis profuſe adhibitis eorumque noxiis effectibus Obſ. refert Ill. Hoffmann *l. c. Obſ. VII.* Si alvus fuerit adſtricta, tunc purgantia leniora exhibuerunt, ut ſordes in primis viis hærentes novo ſtimulo nociturae, alvo exturbarentur, eaque continuo libera ſervaretur. Id pariter ſuadet egregius Vir ſupra citatus, ut & Ill. Mead *l. c. p.* 75. huc diætam præcipit, quæ alvum magis ſolutam quam adſtrictam ſervet. Diarrhœa, quæ in Morbillis malignis epidemicis ſæpenumero ſolet accidere plurimosque neci tradere, a noſtris abfuit.

§. XIX.

Circa diætam hac ratione præcipue inceſſerunt Medentes; ſummopere calida vitare juſſerunt, ſtragula nimis denſa rejecerunt, temperatum modo ſervarunt loci, quo detinebantur ægri calorem, ſed eosdem etiam a frigido aëre pariter arcebant, eruptione facta potiſſimum, nec caute inſtitutas aëris ventilationes neglexerunt. Diæta ut in omnibus morbis acutis erat tenuiſſima; a carnibus arcebantur ægri, juſcula concedebantur tenuia, avena hordeo temperata. Pulpas fructuum horræorum, acrimoniam humorum leniendo, ſaponaceo quo gaudent ſucco aperientes, dulci acido leniter refrigerantes, putredini reſiſtentes, in hoc morbo eximii uſus fuerunt. Morbo ſuperato, evanidis maculis, ad eliminandas morbi reliquias, quæ plurimum damni ægrotis afferre poſſunt, cathartica eccoprotica exhibebantur, hæc ſane vix ſine culpa omiſeris; remanens enim morbi materies pulmones ſubit, ut Ill. Tissot docet *l. c.* inflammationesque ciet pertinaces, oriuntur anxietates, febrisque denuo accenditur, quapropter ne nimis cito aëri frigido ſeſe committant convaleſcentes, monent omnes Practici, conf. Hoffmann *l. c.* §. 9. pariter Egregius Home *Princip. Medicin. Part. IV. Sect. VIII. p.* 186. *de Morbillis*; *Caveant*, inquit, *convaleſcentes, ne nimis præmature ſeſe committant frigido aëri, vel ſalubrem victus rationem lautiori poſthabeant, plectuntur enim poſtea catharrho ſuffocativo, aſthmate, phthyſi & tabe.* Ut ideo talia avertantur, ſuadet Ill. Hoffmann, ut per aliquot hebdomadas perſpirationem ſollicite cuſtodiant, & eum in finem utantur infuſis theiformibus leniter diaphoreticis, interpoſito nonnunquam ad ſordes per alvum extrahendas balſamicarum pillularum uſu. Hæc ſi ſedulo obſervaſſent noſtri convaleſcentes, deſcripta §. II. pericula a ſe removere potuiſſent.

§. XX.

Ultimo, non inconſultum fore duco, monere Cl. Home *Medical facts and Experiments p.* 268. *& l. c.* §. 24. Inſitionem Morbillorum commendare, & quod Morbilli inſiti leviſſimis ſymptomatibus decurrant, aſſerere. Sed fateor, me vix ſperare, quod hac ratione, ab Ill. Tissot *Cap. XIV.* etiam laudata, homines a Morbillis epidemiis poſſint ſecuri reddi, cum nemo ignoret, Morbillos eundem hominem iteratis vicibus corripere; magis placet Ill. de Haen *l. c. Cap. VI.* conſilium, qui ad omnia exanthemata, quæ malignitatis quid fovent, uſum corticis Chinæ antiſepticorum principis commendat.

F I N I S.

OBSERVATIONES METEOROLOGICÆ
ANNI MDCCLXVI.
JULIUS.

Dies menſis.	*Venti.*	BAROMETR. *Pollic.*	*Lineæ.*	THERMOM.	COELI STATUS.
1	N.	27	6	57	Mane pluvia, dein ſerenitas, ad mediam noctem procella.
2	SO.	27	6	62	Cœlum tectum, mane pluvia.
3	SO.	27	7	56	Pluvia.
4	SO.	27	9	52	Serenitas. Noctu pluvia.
5	SO.	27	9	58	Serenitas.
6	SO.	27	7	62	Interdum aliquid pluviæ.
7	SO.	27	6	61	Pluvia, interdum tonitru.
8	SO.	27	6	56	Pluvia, interdum tonitru.
9	SO.	27	6	59	Serenitas.
10	SO.	27	6	57	Serenitas.
11	S.	27	5	62	Pluvia, interdum tonitru.
12	S.	27	4	57	Pluvia, interdiu & noctu procella.
13	SW.	27	3	57	Pluvia.
14	S.	27	8	58	Pluvia.
15	SW.	27	7	62	Cœlum tectum.
16	SW.	27	6	60	Pluvia.
17	S.	27	8	60	Cœlum tectum.
18	SO.	27	9	58	Serenitas.
19	N.	27	9	60	Serenitas.
20	N.	27	9	66	Serenitas, poſt merid. tonitru.
21	N.	27	8	64	Serenitas.
22	SO.	27	8	64	Poſt merid. pluvia.
23	NW.	27	5	62	Pluvia.
24	N.	27	7	56	Serenitas.
25	SO.	27	7	64	Serenitas; poſt merid. mutatio venti ex SO. in NW.
26	SO.	27	7	64	Serenitas; poſt mer. pluvia cum vi decidens.
27	SO.	27	7	64	Mane largiſſima pluvia.
28	SO.	27	9	54	Mane nebula. Serenitas.
29	SO.	27	8	58	Mane nebula. Serenitas.
30	SO.	27	8	64	Serenitas; poſt merid. pluvia.
31	SO.	27	9	70	Serenitas.

Summus ad quem hoc menſe Barometrum aſcendit gradus erat 27″ 9‴; infimus, ad quem Mercurius deprimebatur, fuit 27″ 3‴. Maximus hujus menſis calor ad 70° Thermometri liquorem evexit; infimus ad quem deprimebatur liquor, erat 52°. Auſter creberrime flavit, raro Boreas. Aqua ex cœlo delapſa 5″ $9\frac{3}{4}$‴ altitudinem æquavit.

AUGUSTUS.

Dies menſis.	Venti.	Barometr. Pollic.	Lineæ.	Thermom.	Coeli status.
1	SO.	27	9	68	Serenitas.
2	N.	27	7	62	Mane nebula. Serenitas.
3	SW.	27	8	70	Summo mane tempeſtas ex NW.
4	NW	27	9	58	Serenitas.
5	NW	27	8	58	Serenitas.
6	N.	27	10	62	Poſt merid. ad 84° Liquor Thermometri elevabatur, obtinuit ſerenitas.
7	N.	27	10	62	Poſt merid. ut ſupra.
8	N.	27	9	60	Ut ſupra.
9	N.	27	9	66	Ut ſupra.
10	N.	27	9	62	Serenitas.
11	N.	27	8	57	Serenitas.
12	N.	27	7	53	Serenitas.
13	N.	27	8	60	Serenitas.
14	N.	27	9	52	Serenitas.
15	N.	27	8	54	Serenit. verſus veſp. cœlum tect.
16	SO.	27	5	57	Interdum pluvia.
17	N.	27	7	60	Serenit. veſpera aliquid pluviæ.
18	N.	27	6	55	Serenitas.
19	NW	27	9	56	Serenitas.
20	SW.	27	9	62	Mane pluvia, dein ſerenitas.
21	SW.	27	10	60	Serenitas.
22	NW	27	9	56	Serenitas.
23	SO.	27	9	62	Serenitas.
24	SO.	27	7	65	Veſpera aliquid pluviæ.
25	NW	27	10	56	Veſpera aliquid pluviæ.
26	N.	27	10	48	Serenitas.
27	N.	27	9	52	Serenitas.
28	SO.	27	9	58	Serenitas, p. mer. ad 80° Liquor Thermom. evectus conſpicieb.
29	SO.	27	9	60	Serenitas, p. mer. ad 80° Liquor Thermometri aſcendit.
30	NW	27	9	60	Serenitas, p. m. 80° Liquor Thermometri oſtendit.
31	NW	27	9	60	Serenitas.

Summus, ad quem hoc menſe Barometrum aſcendit gradus, erat 27′ 10‴; infimus, ad quem deprimebatur Mercurius, erat 27″ 5‴. Summus, ad quem hujus menſis calor Liquorem Thermometri gradus evexit, erat 80°, infimus ad 48° ſiſtebatur. Frequens hoc menſe Boreas ſpiravit; Aqua ex Cœlo delapſa altitudinem 9‴ æquavit.

SEPTEMBER.

Dies menſis.	*Venti.*	BAROMETR. *Pollic.*	*Lineæ.*	THER-MOM.	COELI STATUS.
1	SO.	27	9	58	Serenitas.
2	N.	27	9	60	Serenitas.
3	N.	27	9	54	Serenitas.
4	N.	27	8	56	Serenitas, poſt merid. Liquor Thermom. ad 80° pervenit.
5	SO.	27	8	56	Serenitas, p. mer. 86° in Thermometro animadvertebantur.
6	NW	27	7	66	Summo mane fulgura, mane fortis pluvia.
7	NW	27	8	60	Serenitas.
8	NW	27	8	60	Serenitas.
9	SO.	27	6	56	Mane tempeſtas a SO. veniens, interdiu pluvia.
10	N.	28	0	46	Serenitas. Pruina.
11	SO.	27	11	46	Serenitas.
12	SO.	27	9	52	Cœlum tect. poſt mer. 80° in Th.
13	SO.	27	6	56	Poſt mer. 80°. Pluvia fort. Mutatio venti in NW.
14	SO.	27	8	54	Serenitas.
15	SW.	27	11	46	Serenitas.
16	N.	28	0	38	Serenitas. Pruina.
17	SO.	28	0	42	Serenitas.
18	SO.	28	0	60	Mane cœlum tectum, dein Boreas ſerenitatem reduxit.
19	N.	27	10	54	Serenitas.
20	N.	27	10	54	Serenitas.
21	SO.	27	10	56	Serenitas.
22	SO.	27	10	56	Serenitas.
23	SO.	27	10	56	Serenitas.
24	SO.	27	10	56	Serenitas.
25	N.	27	11	56	Serenitas.
26	N.	27	11	56	Serenitas.
27	N.	27	9	46	Serenitas.
28	N.	27	9	46	Serenitas.
29	N.	27	9	40	Serenitas.
30	N.	27	8	46	Serenitas.

Summus, ad quem hoc menſe Barometrum aſcendit gradus, erat 28″; infimus, ad quem deprimebatur 27″ 6‴. Maximus Thermometri gradus fuit 86°, infimus 38°. Boreas hoc menſe minus ac præcedenti frequens. Pluvia, quæ decidit, altitudinem 1′ 3½‴ æquavit.

OCTOBER.

Dies menſi.	Venti.	BAROMETR. Pollic.	Lineæ.	THER MOM	COELI STATUS.
1	N.	27	7	50	Pluvia.
2	N.	27	6	52	Serenitas.
3	N.	27	7	48	Mane nebula; p. m. ſerenitas.
4	SO.	27	7	52	Mane nebula; aliquid pluviæ.
5	N.	27	5	54	Cœlum tectum, noctu fulgura cum pluvia.
6	SO.	27	4	58	Cœlum tectum.
7	SO.	27	4	49	Serenitas.
8	N.	27	2	50	Cœlum tectum, p. m. ſerenitas.
9	S.	27	4	57	Cœlum tectum.
10	N.	27	5	48	Mane pluvia, dein cœlum tect.
11	N.	27	6	42	Cœlum tectum.
12	N.	27	9	36	Serenitas.
13	N.	27	9	38	Serenit. veſpera aliquid pluviæ.
14	N.	27	9	38	Cœl. tectum, med. nocte pluvia.
15	SO.	27	10	54	Cœlum tectum, p. m. ſerenitas.
16	N.	27	10	46	Mane nebula; interdiu ſerenitas, noctu ventus & pluvia.
17	N.	28	0	43	Serenitas.
18	N.	28	1	30	Serenitas.
19	N.	28	1	31	Serenitas.
20	SO.	28	0	36	Serenitas.
21	SO.	27	11	36	Serenitas.
22	SO.	27	9	46	Cœlum tectum & pluvia.
23	N.	27	9	46	Serenitas.
24	S.	27	9	38	Cœlum tectum; aliquid pluviæ.
25	S.	27	9	40	Cœlum tectum.
26	O.	27	9	32	Serenitas.
27	SO.	27	7	40	Serenitas.
28	SO.	27	5	42	Serenitas.
29	S.	27	5	48	Cœlum tectum, cum pluvia.
30	S.	27	6	48	Cœlum tectum.
31	NW	27	6	50	Pluvia mane, dein Cœlum tect.

Summus, ad quem hoc menſe Barometrum aſcendit gradus, erat 28″ 1‴; infimus, ad quem deprimebatur, 27″ 2‴. Thermometrum inter 58° & 31° variabat. Boreas crebro ſpiravit. Quantitas Aquæ ex Cœlo delapſæ altitudinem 1″ 6‴ æquavit.

NOVEMBER.

Dies menſis.	*Venti.*	BAROMETR. *Pollic.*	*Lineæ.*	THERMOM.	COELI STATUS.
1	NW	27	9	40	Serenitas.
2	NW	27	9	34	Cœlum tectum.
3	SO.	27	9	38	Serenitas.
4	SO.	27	0	34	Serenitas.
5	SO.	27	10	34	Cœlum tectum.
6	NW	27	10	36	Serenitas.
7	NW	27	7	32	Mane nix, dein pluvia.
8	NW	27	8	23	Serenitas.
9	N.	27	10	30	Mane nebula; dein cœlum tect.
10	NW	28	0	36	Mane nebula, dein cœlum tect.
11	SO.	27	9	40	Serenitas.
12	NW	27	9	36	Serenitas.
13	NW	27	7	40	Cœlum tectum.
14	S.	27	6	46	Cœlum tectum.
15	N.	27	6	40	Cœlum tectum.
16	N.	27	7	36	Cœlum tectum.
17	NO.	27	8	34	Cœlum tectum.
18	SO.	27	7	34	Cœlum tectum.
19	N.	27	3	30	Cœlum tectum, p. m. ſerenitas.
20	N.	27	3	30	Cœlum tectum.
21	SO.	27	3	30	Cœlum tectum.
22	N.	27	3	34	Cœlum tectum.
23	SO.	27	9	38	Mane nebula, p. m. ſerenitas.
24	SO.	27	11	38	Mane ſerenitas, p. mer. mutatio venti in N. & multæ nebulæ.
25	N.	27	10	32	Cœlum tectum cum nebulis.
26	SO.	27	9	32	Cœlum tectum cum pluvia.
27	NW	27	7	34	Serenitas.
28	NW	27	9	30	Serenitas.
29	NW	27	10	28	Serenitas.
30	NW	27	10	28	Serenitas.

Summus, ad quem Barometrum hoc menſe aſcendit gradus, erat 28″, infimus ad 27″ 3‴. Maximum hujus menſis frigus ad 28° liquorem Thermometri depreſſit. Summus, ad quem aſcendit liquor gradus 46° æquavit. Boreas frequenter flavit. Pluvia, quæ hoc menſe decidit, altitudinem $1\frac{1}{2}$‴ æquavit.

DECEM-

DECEMBER.

Dies menſis.	Venti.	Barometr. Pollic.	Lineæ	Thermom.	Coeli Status.
1	SW.	27	10	24	Serenitas.
2	NW	27	10	24	Serenitas.
3	NW	27	9	30	Serenitas.
4	N.	27	9	20	Serenitas.
5	N.	27	9	22	Serenitas.
6	SO.	27	10	22	Serenitas.
7	N.	27	9	24	Cœlum tectum.
8	SW.	27	8	23	Cœlum tectum. p. mer. mutatio venti in N.
9	N.	27	7	20	Cœlum tectum.
10	SO.	27	8	20	Serenitas.
11	SO.	27	6	20	Poſt merid. ſubtilis Pluvia.
12	SO.	27	5	34	Serenitas.
13	SO.	27	4	36	Mane Pluvia largiſſ. dein Seren.
14	N.	27	6	32	Serenitas.
15	SO.	27	7	36	Cœlum tect. veſpera ventus cum pluvia.
16	SO.	27	3	40	Cœlum tectum. Pluvia.
17	NW	27	6	36	Cœlum tectum.
18	SO.	27	3	36	Serenitas. Noctu Pluvia.
19	SO.	27	1	34	Tempus varians. Interdum Gelu.
20	SO.	27	1	24	Cœlum tectum. Nix.
21	SO.	26	11	36	Serenitas.
22	SO.	27	1	28	Cœlum tectum.
23	NW	27	6	32	Cœlum tectum.
24	N.	27	8	30	Cœl. tectum. Interdum Nix.
25	N.	27	9	28	Serenitas. Fortis Ventus.
26	N.	27	9	26	Cœlum tectum.
27	SO.	27	10	28	Serenitas.
28	N.	27	11	21	Serenitas.
29	N.	27	11	26	Serenitas.
30	N.	27	10	20	Serenitas.
31	N.	27	9	18	Serenitas.

Summus, ad quem Barometrum hoc menſe aſcendit gradus, erat 27″ 11‴; infimus, ad quem deprimebatur, 26″ 11‴. Maximum hujus menſis frigus ad 18° liquorem Thermometri depreſſit. Summus, ad quem pervenit liquor gradus, fuit 40°. Boreas hoc non adeo ac præcedenti menſe frequens; Auſter cum ipſo alternavit. Pluvia, quæ hoc menſe decidit, altitudinem $7\frac{3}{4}$″ æquavit.

Dies menſis.	*Venti.*	Barometr. *Pollic.*	*Lineæ.*	Thermom.	Coeli Status.
1	SO.	27	9	24	Serenitas. Noctu Procella cum Nive.
2	SO.	27	0	28	Nix.
3	S.	26	11	28	Serenitas. Interdum Nix.
4	NO.	27	3	24	Serenitas.
5	N.	27	5	22	Mane Nix. Per rel. diem Seren.
6	SO.	27	5	22	Nix.
7	N.	27	5	12	Serenitas.
8	SO.	27	5	2	Serenitas. poſt mer. Nix. Noctu Cœlum tectum.
9	W.	27	4	5	Serenitas.
10	S.	27	4	14	Serenitas.
11	S.	27	4	14	Serenitas.
12	N.	27	4	06	Serenitas.
13	N.	27	4	06	Serenitas.
14	SO.	27	0	16	Mane Nix, dein Serenitas.
15	NW	27	3	25	Mane Nebula, cœl. tect. interdiu.
16	N.	27	3	25	Serenitas.
17	N.	27	5	14	Serenitas.
18	N.	27	5	18	Serenitas.
19	SO.	27	4	12	Mane Seren. p. mer. Cœl. tect.
20	N.	27	5	14	Cœlum tectum.
21	SO.	27	9	3	Serenitas.
22	S.	27	7	22	Summo mane Ventus impetuoſus, dein Cœlum tectum.
23	SO.	27	3	34	Pluvia.
24	W.	27	6	34	Serenitas.
25	N.	27	9	34	Serenitas.
26	NO.	27	9	20	Nebula.
27	NW	27	9	16	Nebula, dein Serenitas.
28	SO.	27	9	19	Serenitas.
29	SO.	27	7	30	Serenitas.
30	SO.	27	9	32	Serenitas.
31	SO.	27	9	32	Serenitas. poſt mer. Cœl. tect.

Summus, ad quem hoc menſe Barometrum aſcendit gradus, erat 27″ 9‴; infimus, ad quem deprimebatur Mercurius, erat 26″ 11‴. Summum hujus menſis frigus ad 2° liquorem Thermometri depreſſit. Summus, ad quem pervenit liquor gradus, erat 34°. Auſter hoc menſe crebrius quam Boreas flavit, Pluvia ex Cœlo delapſa ad altitudinem 6‴ ſubſtitit.

FEBRUARIUS.

Dies menſis	*Venti.*	BAROMETR. *Pollic.*	*Lineæ.*	THERMOM.	COELI STATUS.
1	S.	27	9	40	Cœlum tectum. Aliquid Pluviæ.
2	S.	27	10	36	Serenitas.
3	NW	27	10	30	Nebula.
4	SO.	27	8	30	Cœlum tectum.
5	SO.	27	6	30	Cœlum tectum.
6	N.	27	6	30	Cœlum tectum.
7	N.	27	6	32	Cœlum tectum.
8	SO.	27	4	44	Ventoſum tempus, interdum pluvioſum.
9	SO.	27	2	44	Ventoſum tempus, interdum pluvioſum.
10	SO.	27	3	44	Pluvia.
11	S.	27	4	46	Ventus impetuoſ. & Pluvia.
12	S.	27	3	48	Ventus impetuoſus.
13	S.	27	4	44	Serenitas.
14	S.	27	4	54	Ventus impetuoſus.
15	S.	27	6	54	Cœlum tect. Veſpera Pluvia.
16	S.	27	6	54	Cœlum tectum. Veſpera Pluvia.
17	S.	27	6	48	Serenitas.
18	S.	27	6	46	Cœlum tectum, interdum Seren.
19	NW	27	8	46	Cœlum tect. Veſpera Pluvia.
20	N.	27	8	44	Mane Cœl. tect. p. m. Seren.
21	SO.	27	6	42	Pluvia.
22	SO.	27	6	46	Mane Cœlum tect. p. m. Seren. Veſpera Pluvia.
23	S.	27	8	40	Mane Seren. p. m. Cœl. tect.
24	SO.	27	9	40	Serenitas & Cœlum tectum.
25	S.	27	10	40	Cœl. tect. Aliquid Pluviæ.
26	SW.	27	9	48	Mane Procella, Pluvia largiſſima toto die.
27	S.	27	5	50	Procella.
28	NW	27	4	44	Mane Pluvia largiſſima. Ventus. Cœlum tectum.

Summus, ad quem hoc menſe Barometrum aſcendit gradus, erat 27″ 10‴; infimus, ad quem deprimebatur, fuit 27″ 2‴. Liquor Thermometri inter 30° & 54° variabat. Frequens Auſter, raro Boreas ſpiravit. Aqua ex Cœlo delapſa altitudinem 1″ 9½‴ æquavit.

M A R T I U S.

Dies menſis.	*Venti.*	Barometr. *Pollic.*	*Lineæ.*	Ther-mom.	Coeli Status.
1	SW.	27	7	42	Tempeſtas ventoſa & Serenitas.
2	SO.	27	9	40	Temp. vent. & Ser. p. m. NW.
3	SO.	27	6	44	Tempeſtas ventoſa, Pluvia largiſſima, Grando media nocte.
4	SO.	27	5	44	Temp. vent. Pluvia largiſſ.
5	NW	27	9	36	Serenitas.
6	SO.	27	10	32	Cœlum tectum.
7	SO.	27	9	36	Cœlum tectum.
8	N.	27	7	46	Serenitas.
9	N.	27	7	34	Serenitas.
10	N.	27	8	30	Serenitas.
11	N.	27	6	30	Serenitas.
12	N.	27	4	32	Serenitas.
13	N.	27	3	32	Serenitas.
14	SO.	27	4	32	Serenitas. Veſpera Pluvia.
15	SO.	27	3	44	Ventus, interdum Nix & Grando.
16	NW	27	8	32	Serenitas, medio die Nix.
17	S.	27	7	30	Procella cum Nive, noctu Pluvia.
18	NW	27	5	38	Cœlum tectum. Pluvia, poſt meridiem Serenitas.
19	NW	27	4	48	Ventus, veſp. Procella, noctu Pluvia.
20	S.	27	4	44	Procella & Pluvia.
21	S.	27	5	44	Pluvia.
22	NW	27	6	40	Pluvia.
23	N.	27	6	34	Serenit. interdum Nix & Pluvia.
24	N.	27	6	30	Serenitas.
25	N.	27	5	36	Mane Cœlum tectum, poſt mer. parum Gelu.
26	O.	27	4	34	Serenitas, interdum Nix.
27	N.	27	4	32	Serenitas.
28	N.	27	4	32	Seren. veſp. aliquid Pluviæ.
29	S.	27	5	44	Seren. interdiu N. obtinuit.
30	N.	27	7	40	Serenitas.
31	SO.	27	3	44	Cœlum tectum.

Summus, ad quem hoc menſe Barometrum aſcendit gradus, erat 27″ 10‴; infimus, ad quem deprimebatur Mercurius, erat 27″ 3‴. Thermometrum inter 48° & 30° variabat. Crebrius ſpiravit Boreas. Aqua ex Cœlo delapſa altitudinem $11\frac{5}{8}$‴.

APRILIS.

Dies menſis	*Venti.*	BAROMETR. *Pollic.*	*Lineæ.*	THERMOM.	COELI STATUS.
1	S.	27	8	48	Pluvia.
2	N.	27	9	42	Serenitas.
3	N.	27	9	32	Serenitas.
4	N.	27	8	32	Serenitas.
5	O.	27	7	34	Serenitas, poſt merid. mutatio venti in N.
6	N.	27	6	36	Serenitas.
7	N.	27	5	40	Serenitas, p. m. Procella; hinc inde fulgura, tonitrua audiebantur.
8	N.	27	7	40	Serenitas.
9	N.	27	7	40	Serenitas.
10	N.	27	8	40	Serenitas.
11	N.	27	8	46	Serenitas.
12	N.	27	7	40	Serenitas.
13	N.	27	7	46	Serenitas.
14	N.	27	6	46	Serenitas.
15	N.	27	6	40	Seren. ſummo mane Procella.
16	N.	27	6	36	Interdum Nix.
17	N.	27	6	30	Serenitas, interdum Nix.
18	N.	27	4	32	Interdiu & noctu Nix.
19	N.	27	3	30	Interdiu & noctu Nix.
20	S.	27	4	32	Serenitas, p. mer. aliquid Nivis.
21	S.	27	5	34	Serenitas.
22	S.	27	5	46	Poſt meridiem Pluvia.
23	S.	27	4	46	Poſt m. interdum fortis Pluvia.
24	N.	27	4	46	Poſt mer. S. O. & Pluvia largiſſima, frigus validus horrores ciens, teneri fructus congelarunt.
25	SO.	27	8	48	Serenitas.
26	SW.	27	9	48	Serenitas, p. m. Pluvia, Frigus.
27	N.	27	7	48	Serenitas, veſpera Pluvia.
28	N.	27	7	46	Serenitas, interdum Coel. tect.
29	N.	27	11	44	Serenitas.
30	N.	28	0	38	Serenitas.

Summus, ad quem hoc menſe Barometrum aſcendit gradus, erat 28″; infimus, ad quem deprimebatur Mercurius, erat 27″ 11‴. Thermometrum inter 48° & 30° variabat. Crebro Boreas ſpiravit. Aqua ex Cœlo delapſa altitudinem 1″ $4\frac{3}{8}$‴.

MAJUS.

Dies menſis.	*Venti.*	BAROMETR. *Pollic.*	*Lineæ.*	THERMOM.	COELI STATUS.
1	N.	27	11	38	Mane Nebula, dein ſerenitas, interdum Cœlum tectum.
2	N.	27	9	46	Pluvia.
3	N.	27	7	46	Cœlum tectum.
4	S.	27	6	46	Pluvia.
5	W.	27	5	36	Cœl. tect. veſpera aliq. Pluviæ.
6	S.	27	6	36	Cœl. tect. veſpera aliq. Pluviæ.
7	SO.	27	9	36	Serenitas, mane fortis Nebula, Pruina.
8	N.	27	9	40	Serenitas, mane fort. Nebula.
9	SO.	27	7	50	Serenitas.
10	SO.	27	7	54	Sæpe Pluvia largiſſ. veſpera Procella, Tonitrua audiebantur.
11	SO.	27	8	48	Serenitas.
12	S.	27	9	52	Pluvia.
13	S.	27	8	56	Mane Nebula, dein Serenitas.
14	N.	27	6	62	Seren. veſpera Procella ex S. O. ab hora 8. ad 9. uſque.
15	O.	27	8	58	Serenitas, per noctem Fulgura.
16	SO.	27	6	58	Pluvia.
17	SO.	27	7	54	Serenitas, verſus mer. Procella & aliquid Grandinis.
18	SW.	27	6	54	Serenitas.
19	S.	27	6	55	Serenitas.
20	SO.	27	6	54	Seren. poſt mer. mut. venti in N.
21	SO.	27	7	60	Mane Pluvia, poſt mer. Procella ex S. O. in N.
22	S.	27	6	58	Serenitas, veſpera Pluvià largiſſima ex S. O. in N.
23	NW	27	6	54	Seren. poſt mer. denſæ Nubes.
24	NW	27	6	50	Audiebantur Tonitrua cum Fulguribus, aliq. Pluviæ cecidit.
25	SO.	27	7	44	Serenitas.
26	SO.	27	6	46	Pluvia toto die.
27	SO.	27	6	46	Pluvia toto die.
28	SO.	27	5	50	Ventus, Cœlum tect. interdum ex N. O. Pluvia & Grando.
29	SO.	27	6	46	Serenitas, p. m. aliquid Pluviæ.
30	SO.	27	5	54	Cœl. tect. Ventus, interdum Pluv.
31	SO.	27	5	60	Cœl. tect. interdum Pluvia.

Summus, ad quem hoc menſe Barometrum aſcendit gradus, fuit 27″ 11‴; infimus, ad quem deprimebatur Mercurius, erat 27″ 5‴. Liquor Thermometri inter 36° & 60° variabat. Ventus a meridie crebro flavit. Aqua ex Cœlo delapſa altitudinem 2″ 7‴ æquavit.